

B. C. D.

De

# NUDITATE

HOMINUM IN STATU  
ANTE LAPSUM,

permissu

Inclutæ Facultatis Philosophicæ  
in Academia Lipsiensi,

PRÆSIDE

DN. M. JOHANNE Gottlieb Hardt /

Facultatis Philosophicæ Assessore,

cum Eruditis

*placidam colloctionem,*

ad diem XXVII. Septembr.


M. D C. L X X X I V.

H. L. Q. C.

*instituet*

A. & R.

JOHANNES CHRISTIANUS Holl.



L I P S I Æ,

TYPIS JUSTINI BRANDI. a. MDCCLXXIII. 34.

coll. diss. A  
7, 34

IN VOLLSTÄNDIGER  
RECHTSGILTIGKEIT

BEI DER UNIVERSITÄT  
ZU DRESDEN  
VON  
HERRN  
DR. phil. JOHANNES CHRISTIANUS  
VON  
M. D. C. C. L. X. V. I. I.

DR. phil. JOHANNES CHRISTIANUS  
VON  
M. D. C. C. L. X. V. I. I.



JOHANNES CHRISTIANUS VON

DR. phil. JOHANNES CHRISTIANUS VON

M. D. C. C. L. X. V. I. I.

DR. phil. JOHANNES CHRISTIANUS VON



I. N. J.

**A**ΣΚΗΣΙΝ nullam in rem, quam in disputatori-  
um studium magis complementum ulti-  
mum inducere, non potest non in confesso  
esse apud omnes, qui rem intelligunt :  
Id perpendens ego una cum binis Commilitonibus,  
constituimus tandem, quas privatos haecenus inter  
parietes vires eramus periclitati publico etiam in  
conflictu experiri : Stimulabat insuper Controver-  
sia, quæ de NUDITATE inter nos agitabatur,  
adeo quidem, ut, præsertim non refragante  
DN. Præside illam eligeremus, utpote disputabile,  
Thema jucundumque pariter. Quemadmodum  
ego itaq; hac vice NUDITATEM hominum in Statu  
ante Lapsum pertexturus sum, ita alter de NUDI-  
TATE ipsorummet in Statu post Lapsum; Tertius  
de NUDITATE in Statu post Resurrectionem, lu-  
cubrationses suas promulgabunt. Faxit  
DEUS feliciter.



§. I.

**Q**uod solet etiam in re clarissima tantum non semper contingere, ut in dubium illa vocetur, id ipsum quando in Protoplastorum Nuditatem curatius paulo inquirimus, pariter obvenire observamus. Quamvis enim à Mose illa expressis verbis adferatur, nihilo tamen minus Judæi, fabularum architecti ac heluones, si non vestem, aliquid saltem instar vestis primo homini affingunt. Sic in Pirke R. Eliefer cap. XIV. fol. IX. col. 4. hæc consignata legi possunt: Qvalis erat vestis Adami hominis primi? erat pellis Onychina, vel ut alii interpretantur, unguis instar pellucida, quam nubes gloriæ circumdabat. Cum vero comedisset de fructibus arboris vetitæ, exuebatur ei pellis illa, videbatq; se esse nudum, recedebat insuper ab eo nubes gloriæ: atque inde est, quod adhuc dum ineunte Sabbatho Judæi ungues ad candelam contemplari soleant admurmuratâ preculâ, verba sunt Wilhelmi Schickardi, Juris Regii Hebræorum pag. 125. Si quidem ratio hujus ritus in Minhag. fol. 3. ad memoriâ vestis, quæ Adamo instar unguis adhæserit, dilucidè referri deprehenditur. Confer Buxtorf. Synagog. Judaic. c. XVI. p. 347. seq. omnium autem maxime notæ Excellentiss. Dn. D. Johan. Benedicti Carpz. ad l. c. Schickardi p. 358. seqq. dignæ sunt quæ legantur.

§. II. Alii contra asserunt Protoplastos pilosos ab initio & hirsutos fuisse, ut ex Raschi ad Genes. III. 21. fol. 6. col. 1. potest colligi, qualismodi cutis Esavo postmodum contigerit. vid. Libavium de Universit. & Originibus rerum condit. libr. VII. p. 644. atque hac ratione perinde sicut animalium reliqua vestitu non habuisse opus.

§. III. Sed adduxisse nugas tales, est easdem refutasse, præsertim cum contrarium monumenta nos Sacrarum Literarum edocent. Præterquam enim, quod Gen. II. v. ult. uterque primorum parentum nudo corporis habitu fuisse, difertis perhibeatur verbis, caput proxime subsequens integrum ferè, Nuditatem illam propugnât, quatenus eidem perizomatis ficulneis remedium paravere Lapsi v. 7. neq; aliam fugæ suæ causam quàm hanc ipsam professi sunt v. 10. DEUS quoq; in adquisitionem istius cum pudore per delibationem fructus vetiti notitiam invehctus est v. 11. factisque vestimentis è pellibus pudibundos contexit v. 21.

§. IV. At

§. IV. At verò quamobrem homines integri nudi ita nulloq; prorsus circumdati amictu paradifum coluerint, disquisitione ulteriore videtur esse dignum: atque hïc iterum deprehendere est centones farciri nugarum. Rabbinii enim ante Lapsum cœcos fuisse homines & vitam brutalem vixisse somniant: Calov. Bibl. Illustr. ad Cap. III. Gen. v. 7. p. 241. confer Pelargum ad eundem Locum, qui pag. 74. ex Paulo Fagio refert: Judæos opinates, arborem Scientiæ Boni & Mali vim habuisse aperiendi oculos & auferendi cœcitatem; quod egregiè ab Augustino lib. XIV. de Civitate DEI cap. 17. & Theodoreto quæst. 33. refellitur.

§. V. Aliis placet, putasse Adamum in Integritate, se tectum esse pilis aliove vestitu, nec vidisse, quod præter cutem indumenti haberet nihil. Libav. l. c. p. 683. Sed ad quæ dictus Autor reponit: non erat cœcus; nec tam miserè vacillabat iudicio, ut quæ naturas animalium discreverat, suam non intelligeret, nec præstigiis captus aliter videbat, aliter putabat se videre.

§. VI. Nonnulli causam Nuditatis in ætate Protoplastorum, quærunt, existimantes Adamum puerum fuisse primitus; cum quibus & August. de Gen. lit. I. VI. c. 13. ubi disputat. num puerilis an virilis Adami Statura prima fuerit, facere videtur, ita tamen ut arbitretur, mox Omnipotentia DEI adolevisse, quemadmodum est apud Gesnerum; Explicationis Gen. p. 36. Peirerius quoque, ille Præ-Adamitarum inventor Hevam non viraginem; sed infantem factam esse fabulatur, quæ de die in diem nostrum infantum more creverit, cujus argumenta diluta vid. Disput. de Hevæ ex Adami costa ædificatione Rostochii sub præsidio M. Samuelis Asteri 1674. habitæ Cap. III. §. 9. & 10.

§. VII. Grotius de J. B. & P. libr. II. cap. II. ingenio pueros extitisse censet, i. e. simplices & ignorantes, quem refutatum lege ap. Calov. c. 1. ad Gen. II. v. 9. p. 235. seq. argumento inde præsertim desumpto, quod Col. III. v. 10. renovari debere dicamur, ad cognitionem, in qua primus homo fuit conditus, renovationem itaque ad cognitionem supponere cognitionis amissionem.

§. IIX. Parili ratione ac rem haud tangere videntur, qui nudos fuisse primos parentes ideo perhibent, quod corpora non animalia habuerint sive carnalia, sed spiritualia; Sententiam hanc Præsul Hipponensis postquam loc. cit. cap. 19. seq. recensuit,

cap. 24. accurate satis perstringit, destruitq; rationes in contrarium.

§. IX. Longè autem absurdissimum illud Hebræorum commentum est, quod Platoni alias in Symposio auctori adscribitur: Cum DEUS ille benedictus Adamum conderet, Androgynum ipsum creasse, quemadmodum dictum est: Marem atq; fœminam creavit eos. Nimirum credidit R. Sam. Bar Nachmann juxta cum aliis, quorum nomina æque ac verba in citata modò Dissert. Cap. II. §. 2. recensentur: mulierem primitus conjunctim cum Adamo creatam & quasi pice agglutinatum scapulis ejus, ita ut à fronte Adamus, à tergo Eva esset: Sententiam hanc suam quoq; fecit Menasseh Ben Israël conciliat: supra Gen. qv. 8. memorante hæc omnia Hakspanio in Sylloge Disputat. Theol. & Phil. p. 283. seqq.

§. X. Id vero dictus Auctor inibi miratur: Christianorum non nullos eandem sententiam probasse, quos inter numerandus Franciscus Georgius Venetus Tom. I. Problem. 29. ap. Sixtum Senensem libr. V. Bibl. Sanctæ ann. 45. Cum tamen hi expendere debuissent illud Apostoli 1. Cor. XI. v. 8. Vir non est è muliere, sed mulier è viro. Et aliud 1. Tim. II. v. 13. *Ἀδάμ πρῶτος ἐπλασθη ἐκ τῆς Ἐυα*; quibus locis monstrum hoc omnino intercudit, quatenus à fabularum illarum structoribus asseritur: Corpus ex utroque sexu coalitum divisum postmodum esse à DEO, atq; ita adjutorium positum coram eo, (Adamo) i. e. à fronte ipsius, (ita quippe interpretantur) adeò, ut corpus, quod antè humeris agglutinatum hærebat, deinceps in ejus esset conspectu.

§. XI. Insuper ipsa ratio dicitur, Hermaphroditum Adamum haudquaquam esse conditum, siquidem corpus talismodi à Philosophis monstruosum reputetur, quale quod Natura naturata per se non producit, nedum Naturans, quando agit solitariè, ut factum in Creatione. Pariter æque absurdum sano est judicio, statuere, bicorpor monstrum posse ita dividi, ut duo individua humana inde existant; atque dicere cum nequissimo nescio quo Imperatore, quando Rabbi Eliezarem objectionibus exagitare volebat: DEUM Judæorum (sic venia blasphemiam referenti) furem esse, quod Adamo, sopore immisso costam sustulerit. Cum enim corpus illud unam tantum habuisset animam rationalem, quæ Spiritus est, illa fuisset divisibilis in duas animas, commento Pnevmatice,

ticæ ignorato, vid. controversiam hanc de Adamo Androgyno fufe pertractatam ap. Hakspan. c. l. à p. 282. usque ad 293.

§. XII. Omnes ergo Sententiæ quotquot hætenus adductæ sunt, deliræ existunt, & à nugis parum aut nihil abludentes, tantum abest, ut, quæ causa Nuditatis Protaplastorum in statu integro fuerit, declarent exactiùs. Atque illa nunc quidem investiganda nobis porrò venit. Quo in negotio si pensitemus, quam obrem vestitu nobis postquam Imaginem DEI amissimus, opus sit, puto rem habebimus manifestissimam. Namque requiritur ille ob rationes tum phycas, tum morales. Inter phycas centrum, ad quod reliquæ collimant omnes, valetudo certe occupat, quæ labefactari, prorsus imò destrui ab æstu potest, gelu, imbribus, aëre, quibus omnibus validus diversis vestimentorum generibus obex haud difficulter ponitur.

§. XIII. Morales inter rationes, ob quas tegumentis utimur, potissima censerì debet turpitudò, quæ adhærescere membris quibusdam videtur, moratoribus saltim gentibus, partim quod sordibus ejiciendis destinata sunt atque ita naturali velut infama laborant; partim etiam, quod omnium in se convertunt oculos, & libidine quidem incensos, adeò ut statim reciproco velut impetu per illas partes erumpere pravitas vehementer annitatur: quoniam itaque omnem à se turpitudinem quilibet averfam discupit, hanc quoque velaminibus occultare allaboramus.

§. XIV. Neutræ harum urgebant primos parentes, quamdiu nondum erant lapsi: Non periclitabatur ipforum valetudo, Accuratissima enim omnium partium corporis erat unio & dispositio, quæ adversi nihil admittebat, imò ne admittere quidem poterat, cum illi non minùs impassibiles fuerint quàm immortales.

§. XV. Turpitudinis ne minimum quidem vestigium sentire, poterant, imò nec verecundia in ipsis dabatur ulla: recta erant atque ordinata principia quarumvis actionum. Dicitur possit excretionem non habuisse opus, quia fortè plus nec comederunt nec biberunt, nisi quantum nutriendo corpori suffecit: Sed quorsum pertinuisent illa organa? quare probabilius videtur, excrementa integrorum nostris prorsus existisse dissimilia, propter dissimile nutrimentum, dissimiles pariter concoquendi vires, ficuti non  
tantum

tantum experientia edocemur, animalium nonnullorum excre-  
menta fragrantia excludi, sed quoque de Alexandro M. à Plu-  
tarch. in vita ejus relatum accepimus, quod sudore quoties sit  
perfusus, ille sive volens extiterit.

§. XVI. Multominus Protoplastos pudere debebat Nuditatis  
ideo, quod illa stimulare posset libidinem, nesciebant illam incor-  
rupti: Natura enim hæc illis erat, qua creati fuerant, nec judici-  
um cujusquam de se sinistrum vereri, ullave culpa pallefcere  
cogebantur: istam rem quæ postea vocabatur Nuditas, initio hoc  
vocabulo non intelligebant; & si tunc dixisses de Nuditate, sur-  
dis fabulam narrasses; Libavius l. c. p. 683. An sol opus habet  
verecundari, quando sine velamine omnium oculis usurpatur?  
Rem omnem egregie Dn. D. Calov. l. supra c. eloquitur: Ante  
Lapsam inquit: Nuditas cum Naturam, & morum integra-  
tem, membrorumque *συνμείξια* & *ἀρετήν* perfectam, tum  
continentiam & justitiam sanctissimam testabatur. Nihil defor-  
me illis inerat, quod vestibus operirent, neque ab ulla aëris  
injuria metuendum fuit. Et cum conscientiam haberent nullâ  
peccati labe pollutam, nihilque præter rationis dictamen mem-  
bra corporis inverecunde agerent, nulla pudoris causa erat.  
Quid eos puderet, scribit Beda, quando nullam Legem sense-  
rant in membris suis repugnantem Legi mentis suæ? Nullus  
erat motus in corpore, cui verecundia deberetur. Nihil pu-  
tabant velandum, quia nihil senserant refrenandum. Nuditas  
ergò illa non dedecori, sed ornamento erat. Hactenus Calovius.

§. XVII. Quibus ita deductis, quæstio nunc illa oritur: An  
nos etiam, quando quidem in statu integro mansissemus, nullo  
unquam habitu fuisset usi? Non quaritur: utrum illi, qui  
Paradisi cultores exstitissent, sed an omnes quarumcunque terra-  
rum homines multiplicato Adami semine, perstitissent incedere  
nudi, imò vero an prorsus ad hoc fuissent adstricti? Quemad-  
modum enim extra Paradisum minus delicatos fructus fuisse ar-  
bitratur Libav. l. c. p. 655. adeò ut Paradisus tanquam horreum &  
promptuarium vel apotheca credi possit eorum quoque, qui extra  
habitassent non mutato statu integritatis; ita parili ratione con-  
stitutos extra Paradisum Adami corruptos posteros abituros fortè  
à paradisiacis quoad Nuditatem fuisse perhiberi posset.

§. XIX.



§. XVIII. Rationes, quæ patrocinari opinioni huic videntur, sunt sequentes 1.) quia Paradisus juxta communissimam sententiam partim in zona torrida, partim ubi aëris temperies ad illam proximè accedit, situm obtinuerit, nimiusque ita æstus Nuditatem forte svaserit, cum longè secus res se habeat in zonis frigidis vel etiam in temperatis, quando bruma sævit. Illa verò omninò contigisset pariter ac nunc, etiamsi primi parentes non peccassent; Eadem enim erat zodiaci obliquitas, idem cœli, siderumque motus. Quod si dicatur, corpora tali in hominibus illis temperamento prædita esse potuisse, quale aëris temperiei tali vel tali erat accommodatum, hoc consequetur absurdum: diversum imò adversum temperamentum integros obtinuisse. 2.) Cum brutis animantibus à providæ naturæ curâ prospectum sit adversus aëris inclementiam, terrestribus villosâ cute, volatilibus plumis, squamis piscibus; hominem ideo relictum nudum, quoniam in Paradiso ( $\alpha$ ) tegmine haud indigebat & ( $\beta$ ) alibi locorum constitutus tale quid requirente necessitate, utpote ratione instructum animal poterat comparare, atque ita ipsam Nuditatem contra Nuditatis necessitatem militare. 3.) Quia in eo nihil absurdi deprehenditur, quando homines corpori aliquid circumdedissent; prorsus sicut assis ac elixis vesci poterant, licet talis artificiosa præparatio haud esset necessaria: Nam ingens delectus ad satietatem & voluptatem adfuisset edulium, fuissent insuper hæc longè mitiora, naturaque robusta concoxisset omnia rectius, dicente Libav. c. l. p. 655.

§. XIX. Ulterius 4.) ideo homines omnes, licet Protoplastos labi non contigisset; nudatum corporis habitum haud fuisse retenturos, asserendum videri potest; quod inter eos aliqua existura erat Republica, quam probabilem sententiam existimat Excell. Dn. D. Alberti Compend. Juris Naturæ libr. II. cap. 14. §. 1. Saltim ut liberi parentibus, ita nepotes avis atavisque, posteris majoribus & reverentiam debuissent & partitionem voluntariam: Ast quomodo se invicem potuissent dignoscere, nisi vestitus varietas discrimen designasset? discerni sine certis quibusdam notis ne illi quidem potuissent, quibus capiendis Paradisus sufficiebat, atque inde multominus, quando Colonia aliorum è Paradiso missa totum terrarum orbem opplevissent.

5.) Argumentum depromi inde poterit, quod ex Nuditate hominū reverentia liberorum erga Parentes ante memorata autoritasq; detrimentum fuisset passura, siquidem convenienter minus fiat, ut illi horum membra quævis intueantur, alias verò dicendum: parentes in conspectu liberorum excreturos etiam, concubituros, parturos fuisse, quæ posteriora cum absurda videantur. Ergo & prius tale statuendum.

§. XX. Quicquid autem sit, nihilominus tamen non improbabile esse deprehenditur omnes homines, si in perfectione primæva permansissent, Nuditatem fuisse continuaturos. Idcirco ad rationes ante allatas paucis respondebo; Et quod 1.) attinet, omnino pro variis terrarum tractibus, variis temperamentis, talibus scilicet, qualia regionibus his vel illis erant congrua, integri homines debuissent instrui: Sed diversitas temperamenti non introducit diversam essentiam, nec quidquam hoc ipsò cuiusquam perfectioni decessisset, quandoquidem duo horologia diversam possunt nacta esse dispositionem, ut nihilominus utrumq; sit omnimodè perfectum, ac elaboratum. Ad 2.) rege- ro: à brutis ad hominem non valere consequentiam, nisi quoq; ab illorum mortalitate ad hominum volueris colligere, sufficiebat homini sua cutis; nec obstat, quod quando coriarii illam hodie concinnant, ejus pori adeò capaces sint, ut foramina potius dici mereantur animadvertente Steph. Clotzio in Tract. de sudore JESU CHRISTI sanguineo. 3.) Nihil probat aliud, quam quod nullum præceptum aut lex aut necessitas primos parentes obligarit, ut à vestitu penitus abstinerent, id verò ambabus largior, nullus dubitans, fuisse quibusdam stratis lectisve usuros, quando ad quietem membra composuissent, quare igitur, non potuissent nullo refragante præcepto corpori etiam aliquid circumponere? sed à posse ad esse malè concluditur. 4.) Ratio pariter vacillare deprehenditur, quia etiam picturâ cutis, cultura capillorum ac barbæ potuissent discerni ab aliis aliis, præterquam quod felix memoria & phantasia in natis perpetuò custodivissent notitiam majorum semel adqvistam. In 5.) consequentia prorsus negatur, judicatur quippe de statu integro juxta ea, quæ in statu corrupto contingunt; nullus inter recensitos actus

actus in integris aliqua turpitudinis labe fuisset infectus : Quam obrem conclusio hæc elicietur : Nos, si mansissemus integri, non quidem adeo obstrictos fuisse, ut citra peccatum nihil corpori nostro potuissemus applicare vestimentorum; sed tamen, quoniam nulla necessitas contrarium requirebat, illorum adparatum fuisse neglecturos.

§. XXI. Dubitari autem posset: Annon, si quando multiplicato genere humano quidam essent lapsi, reliquis integritatem servantibus, hi, ne illis nuditate scandalum præberent, de velamine genitalium futuri fuissent solliciti? Resp. (1.) Incertum videtur: an casus fuisset dabilis, cum multi arbitrentur: Adamum, si, donec generasset, imaginem DEI non amisisset, labi tunc non potuisse, DEO ipsum confirmante in bonitate concreata. (2.) Si vel unum inter homines peccare contigisset, is meritis sustinens pœnas sublatus fortè statim vel morte fuisset vel alia ratione, reliquis omnibus in perfectione à DEO confirmatis, prorsus sicuti cum angelis factum. Atque sic iterum, non est dabilis casus. (3.) Scandalum Lapsi accepissent, nulla integrorum culpa: Quemadmodum ne hodie quidem in venusta sed honesta virgine illa residet, quando quis faciem ipsius contemplatus insanum amorem vel impudicas concipit cogitationes.

§. XXII. Diceret porro aliquis: cum hæc ratione Nuditás ad minimum consequens aliquod status integri fuerit, illam ex Luminé Naturali quoque esse cognoscibilem: Resp. Negando: quia 1.) nec status integri notitia naturalis datur: ostendit hoc Excellentiss. Dn. D. Valentinus Alberti libri citati Part. I. cap. 1. §. 14. 15. & 18. item in peculiari, hac de re contra Strimesium Dissertatione Dn. M. Gottlob Friedrich Seligmann An. 1679. hic Lipsiæ habitâ: nec 2.) Nuditás Integritatis consequens necessarium est atq; inseparabile, sed quid ergo hoc, quod Nuditatem integrorum protrahamus in Cathedram philosophicam? Resp. quid hoc, quod cœli motum è scripturis deducamus philosophi, quem ratio alias telluri attribueret? Christiani è quibuscunque principiis disputaverint cum sui similibus, utroque ad illam oculo respicere opus habent, quid vetat igitur, quo minus hoc

hoc

hoc in ea quoque quæstione fiat, qua disquiritur: an homines ab omni ævo vestiti incedere sint soliti, an secus aliquando fecerint.

§. XXIII. Atque hæc ferè sunt ea, quæ exercitii causa in chartam conjicere libuit. Equidem prolixè in explicatione Locorum Scripturæ textusque Rabbinici collectione commorari potuissem, sed prius cum ad Theologos spectet, posterius vero impar humeris meis, minus insuper utile onus visum sit, superfedere illis volui. B. L. quàm maximè rogans, ut perpendat, primitias à me oblatas, quæ cum è sterili solo proveniant accedente Librorum penuria, pingues adeò existerè haudquaquam potuerunt.

## Corolloria,

De quibus posthac peculiare Dissertationes edentur.

- I. Natura nihil aliud est quam motus.
- II. Datur Cartesius ante Cartesium.
- III. Cartesius in multis imo plurimis est anti-Cartesius.
- IV. Fila B. Mariæ virginis ab araneis non proveniunt.
- V. Chrysopeia è principiis Politicis est improbanda.
- VI. Naturalisatio in Republica non est inutilis.



Coll. Less. A. 47, Misc. 34